



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Epistola ad Reuerendissimos Episcopos comprouinciales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

nasij patronorum nostrorum laudem, Concilium prouinciale sextum celebrabitur, die decimo mensis Maij.

Hoc idem vulgari sermone parochis omnibus vrbanis intra Missarum solennia de suggestu in publicatione festorum mobilium promulgari iussit, literis in hanc sententiam scriptis.

Reuerendo parocho. D'ordine di Monsignor Illustrissimo Cardinale Arcieuescouo, raçcordo à V. R. che la mattina della Epifania, nel medemo tempo che farà la publicatione delle feste Mobili dell'anno presente secondo il solito, non manchi di publicare la celebratione del Concilio prouinciale sexto, che sarà alli diece di Maggio prossimo.

Dalla Cancellaria Archiepiscopale li 4. di Genaro 1582. Subscripta.

M. Antonius Bellinus Cancell.

Huius rei gratia ad omnes Reuerendiss. Episcopos comprouinciales, item ad Capitula Cathedralium, ac ad testes Synodales, Epistolas subsequentes dedit.

EPISTOLA

Ad Reuerendissimos Episcopos Comprovinciales.

Carolus S. R. E. tituli Sanctæ Præedictis Cardinalis, Dei Apostolicæque sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanen. Reuerendiss. Domini. Episcopo. N. Comprovinciali nostro, salutem in Christo Domino; Concilium Prouinciale sextum, quod iam pridem decreto promulgato atque edito, in superiori quinta Synodo prouinciali, auctoritate Metropolitana nostra indiximus, auxiliante diuina misericordia, nos hoc anno M. D. LXXXII. die decimo mensis Maii, ad Tridentinæ sessionis præscriptum celebrabimus. Et verò quanquam non ignota nobis est pastoralis Amplitudinis Tuæ Reuerendissimæ sollicitudo, proindeque confidimus fore, vt pro debito Episcopalis sui officii munere, & pro sanctæ disciplinæ Ecclesiasticæ studio, cuncta diligenter agat, quæcumque de Concilio prouinciali certo titulo in Synodo quarta itidem prouinciali, vel vniuersè, vel sigillatim præscriptimus: nihilominus tamen his

literis, Archiepiscopali etiã nostra auctoritate, Episcopalis officii sui vigilantiam requirendam censuimus, vt antequam stata illa per nos indicta eius Synodi sexti celebrandæ dies veniat, omnino ea ipsa præstet atque exequatur. Quod reliquum est, pro prudentia, proque vigilantia sua pastoralis, Amplitudo. T. Reuerendiss. ea viderit, quibus, dum in Concilio erimus, in tractationibusque & deliberationibus Synodalibus versabimur, & Christi Domini gloriæ in primis seruire, & animarum, quarum Episcopi Pastoresque sumus, spiritali emolumento atque saluti rectè consulere, & mûneri nostro pastorali cumulatè satisfacere possimus.

In superiori Synodo prouinciali quanta istic testes Synodales delegimus, in Vrbe R. D. N. in diocesi R. N. qui cum abessent, iusiurandum ex Decreto prouinciali formulæque præscriptæ non præstiterunt. His igitur literis Amplitudini T. Reuerendiss. facultatem damus, atque impartimur, vt eos ad se quamprimum accersat, ac iusiurandum sibi præstari iubeat, ad formulæ in Concilio prouinciali quarto eo nomine præscriptæ ratione.

Itius præterea Cathedralis Ecclesiæ suæ capitulum ad Concilium nostrum prouinciale de more inuitauimus, eaque causa in hunc fasciculum epistolam includi iussimus, quam ei rectè reddi ab Amplitudine T. Reuerendiss. postulamus. Quare eo de re iureiurando à Testibus Synodalibus præstito, & de epistola capitulo reddita, & de aliis etiã rebus, quas Concilij sexti causa his literis scripsimus, quamprimum, & quam diligentissimè nos certiores faciat. Deus cœlestium gratiarum donis Amplitudinem Tuam Reuerendissimam cumulet. Mediolani die 29. Ianuarij 1582.

EPISTOLA

Ad R. R. Capitula Cathedralium Ecclesiarum prouinciæ.

Carolus Cardinalis Archiepiscopus Mediolani & c. Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ N. salutem in Domino. Deo benè iuuante, nos Concilium prouinciale, sextum, quod iam pridem decre-